

firmat, sed *Marchio Montisferrati, Otto de Carreto, multi nobiles Castellani, et fere omnes Abbates, et Archipresbyteri*, (*) qui praesentes erant, rem ut omnibus exploratissimam noverant, non unum aut alterum vicum, vel Ecclesiam, sed narrant, testantur nemine reclamante coram Delegatis Pontificiis *MULTAS* Ecclesias de Aquensi Dioecesi Alexandrinae, et ejus electo olim assignatas fuisse, atque hanc urgent coram delegatis rationem, ne separatio dioeceseon fieret, sed potius unio, ne si separarentur ob multitudinem Ecclesiarum, quae Aquensibus detrahebantur *destrui Aquensis Ecclesia videretur*; ita videor interpretari posse finem decreti, ut lacunae suppleantur, et sensus ei congruus accomodetur.

Scio equidem ipsum respondere ignorare nos, quae istae Aquenses Ecclesiae fuerint ab Alexandro III. Alexandrino electo concessae: at ajo ego si Forum, si Gamundium, si S. Julianum, si Uvilias, si Roboretum, si reliqua ab ipso relata oppida nullam olim ab Aquensi jurisdictione dependentiam habebant, quae erunt illae multae Ecclesiae Alexandrino electo attributae? Cum ex una parte secus Tanarum Dioecesis Astensis, secus Urbam Terdonensis Ecclesias Aquenses intercipient, si aliquas dedit et *MULTAS*, necesse est, ut illas, quae versus Aquas intra quinque vel septem milliaria continentur, dederit, atque ita novitiae istius Civitatis, ac Dioecesis terminos amplificare adamaverit, ut licet amplam Alexandrino electo in valle Burmiae per decem milliaria circiter ditionem jam consignasset, attamen nil tale merente Episcopo Aquensi, qui, ut partes Romani Pontificis tueretur, Januae exulabat, *MULTAS* adhuc Ecclesias in ipsis foribus Civitatis Aquis positas Alexandrino Episcopo subjecerit, quae an aliquam probabilitatem praeseferant, intelligit quisque.

Quod enim ipse pag. 26. quasi per transennam adjicit Frascarum, Predosam Retortum *posse, ac debere* recenseri inter oppida ad Aquensem Dioecesim pertinentia, libenter admittimus; sed ut difficultatem removeret, debuisset quoque probationes afferre oppida haec non recentiora, sed antiqua esse, neque aliorum vetustiorum finibus circumscripta, sed illis temporibus, de quibus disputamus, cognita, et ab aliis separata. Praeterea nonne ipse ex eis quae supersunt antiquis documentis conatus est investigare, quae prima fuerint oppida ac Ecclesias Alexandrinam Dioecesim componentes? Ipso itaque fatente impervia haud erit *MULTARUM* illarum Ecclesiarum investigatio. Asserere vero alias ex conjecturis cognosci, istas vero minime, ad alias assequendas ac recuperandas toto pectore Alexandrinos, eorumque Archidiaconos incubuisse, ad istas minime, est tum res ab omni specie veritatis aliena, tum manifestum labentis causae indicium.

Quod vero magis magisque hanc tanti viri sententiam a fundamentis convellit, sunt tot tantaeque summorum Pontificum Bullae, in quibus post revocatum a S. P. unionis privilegium *Alexandria Aquensis Dioecesis* appellatur, tum etiam Episcoporum Aquensium suscepta Alexandrinarum Ecclesiarum administratio circa ea omnia, a quibus neque temporum ratio, neque aliorum praevalida manus prohibebat. Cum autem ex hisce documentis maxima hujus quaestionis vis pendeat, necessarium duxi eas omnes scripturas, in quibus *Alexandria Aquensis Dioecesis* asseritur, vel aliquid simile continetur, in medium afferre, iis tamen haud praetermissis, quae clarissimus vir in suae sententiae patrocinium adscivit.

(*) Ghil. ad ann. 1198. & Mon. Aq. par. II. col. 18.